

IMPRIMERIE DE LA UNIVERSITÉ


FACULTÉ
DE
THÉOLOGIE
DE PARIS
THÈSES

BIBL.
DE L'UNIVERSITÉ
MS.
688



BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
M S.


688




Volume de 274 feuillets
(moins 12, 28, 49, 84, 210, 211, 243, 244)

20 Juin 1912

(collé)





240ⁿ W

Religionis Christianae
Demonstratio intrinseca

«Testimonia tua credibilia facta sunt nimis»
(Ps. 92)

Lambert. Paul

12

1844

Religious Christmas

Announcement

Proœmium.

Dissertationis Objectum et Divisio

Christianismus sub formâ suâ quam maxime completâ sumptus, scilicet, sub formâ catholicâ spectari potest qualis ante oculos observatur, ita ut, perspectâ in omnibus punctis absolutâ ejus irreprehensibilitate, perfectâ convenientiâ, mirâ efficacitate, totâ denique ejus excellentiâ vere suprahumanâ, Deus inde probetur ipsi auctor adesse ac cooperator.

Hanc porro demonstrationem ab intrinseco, pro meis viribus, tractare aggredior, proponendo primum Religionis Christianæ doctrinæ summariam expositionem, et inferendo postea Religionis Christianæ originem supernaturalem ex mirâ ipsius doctrinæ excellentiâ. Prior igitur pars Dissertationis hujus consistit in simplici expositione, posterior vero in demonstratione proprie dictâ: ubi ostendere est doctrinam Catholicam tum in conceptu, tum in effectibus, non solum nihil absurdi aut noxi præ se ferre, sed etiam omnibus legitimis naturæ humanæ necessitatibus satisfacere, et modo quidem manifeste plus quam humano.

Doctrina enim aptari debet, tum ad solvenda mentis humanae problemata, ac complenda desideria cordis, tum ad suscitandas virtutes omnimodas etiamque heroicas passim pro individuorum ac societatum necessitatibus.

Tales reipsa sunt notae intrinsecae quae, si in Religionis Christianae doctrinae conceptu et effectibus, verificentur, ostendent contra diversos Adversarios, illam Religionem non esse Deo indignam, eandem esse humanam potentiam superiorem; proinde quae ipsam a Deo esse supernaturaliter datam.

Igitur in duas partes Dissertationem hanc divido, quarum.

Prior erit: Doctrinae catholicae summaria Expositio.

Posterior autem: Religionis catholicae divinitatis demonstratio ex ejus doctrinae excellentia.

Prima Pars.

Catholicae doctrinae expositio.

Cum religio catholica sit complexio dogmatum et officiorum quibus vita hominum regatur in ordine ad finem supernaturalem; in doctrinam suam, alia quidem ad credendum proponuntur, et dicuntur dogmata, alia autem

ad agendum dicuntur *praecepta morum*

Seorsim igitur nobis exponere est. Religionis catho-
licae doctrinae, partem theoreticam; et partem practicam.
Unde duplex Caput.

Caput. I

Pars theoretica seu Dogmatica Christianismi.

Christianismi Dogmatica immensa est at-
que profunda plusquam ratio humana capere potest, si-
quidem ea omnia suscipit exponenda quae nostram interest
scire tum de Deo; tum de nostri mundi ac generis origine,
reparatione et fine.

Breviter tamen ipsius conceptus ita contrahi posse
videtur.

I. Deus est infinite perfectus, unus quidem natu-
ra, in tribus vero personis subsistens, Patre scilicet, Filio
et Spiritu Sancto. Pater, principio carens, generat
Filium sibi aequalem et consubstantialem. Pater et
Filius producunt terminum amoris aequae perfectum
nempe Spiritum Sanctum.

II. Deus operans ad extra; nostri totius mundi
creator, se, e nihilo fabricator; Angelos condidit, eosque
non modo libertate donavit, sed ad supernaturalem sui
ipsius fruitionem promerendam primitus vocavit. Quam
revera ex Angelis, alii quidem moruerunt, alii autem

contempserunt et æterno odio ac damnationi se mancipaverunt. Formavit etiam Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam, eumque liberum constituit in ordine supernaturali, ut ad stabilem perfectionis et felicitatis supernaturalis conditionem in cælo pervenire posset. Homo reipsa, in Paradiso beatus, habuit vitæ interioris et spiritualis principium, gratiam sanctificantem, et inhabitantem in se Spiritum Dei. Animus ejus rerum cognitione et scientiâ amplissimâ instructus, nullis commovebatur appetitibus perturbatis motibus, sicut corpus nec expecturum erat, vel dolores, vel interitum. In tam felici statu constituti, humani generis protoparentes, divinorum beneficiorum obliti, maligni spiritus consiliis, Deo ausi sunt obedientiam detrectare; et exinde posteros suos liquerunt spoliatos quidem a supernaturalibus quibuscumque privilegiis, vulneratos autem in naturalibus, remanente tamen aliqua libertate, sed quam appetitus ad inferiora prævalens in malum ineluctabiliter traheret.

III — In hâc luctuosâ sorte, humanum genus divinam expectum est, quam non meruerat, benevolentiam, stupendo charitatis mysterio in quo vere justitia et pax osculatae sunt. Deus enim, quum ab æterno decrevisset, (sive independenter ab hominum lapsu sive ex hujus prævisione incertum), Filium suum ita creaturæ unire ut infiniti valoris ac meriti actiones inde procederent, hujus meriti intuitu, generi humano non modo conservationem indulgit; verum etiam ex tunc gratias

obtulit, nec tantum gratias medicinales, ad malam concupiscentiam pugnando vincendam, sed et gratias elevativas ad supernaturalem Dei fruitionem rursus merendam.

Demum tempore statuto, post longam mundi ac speciatim selectae gentis Israelitarum gentis praeparationem; illa praenuntiata unio Verbi divini cum naturâ humanâ facta est in personâ Christi nascentis ex Israeliticâ virgine, Beatissimâ Mariâ, quam a labe originali immunem fecerat.

Cum, sicut Adam, ideo totum perdidit genus humanum suâ inobedienciâ, quia illud tanquam caput repraesentabat, ita et Christus, ut homines redimeret, constitutus est a Deo caput hominum, unde ejus merita in omnia corporis mystici membra diffluerent. Porro Verbum incarnatum, post vitam in humilitate et praedicatione divinae doctrinae peractam, ad superabundantem peccatorum mundi expiationem, corpus suum in arâ Crucis, tanquam vicariam victimam immolavit.

Unde resurgens Christus gubernium regni caelestis, pro statu vitae restaurati, hoc modo constituit. Fideles suos collegit in unum corpus Ecclesiae, seu societatem visibilem, sub regimine Pastorum et Summi Pontificis, horum capitulis infallibilis. Cui assistens, usque in consummationem saeculi, incorruptam illic facit praedicari doctrinam ac praescribi legem, et influxu suo informat Sanctos. Gratiam enim suam communicat, tum per causam ejus primam, nempe Spiritum Sanctum, tum per causas secundas,

nempe Sacramenta quibus fidelium omnibus necessitatibus occurrat. Imo instituit divinam Eucharistiam, in qua sub panis et vini speciebus corporaliter praesens, inter nos quotidie pergit Sacrificium in Cruce peractum; et communicantibus intime jungitur, ut vitam suam in illos quam expressissime diffundat.

IV. — Tandem consummatio regni Dei in statu termini sic fiet. Animas e corporibus migrantes, atque eo ipso, in statu quo decedunt, sive odii sive amoris, aeternum obfirmatas, aeterna consequenter suscipit aut damnatio aut praemiatio. Ideoque ex hinc, alias cruciabit aeternum dira a fine suo aversio ac sensus ipsius dolor, alias aeternum beabit Dei intuitiva fruitio; quae tantum differunt iis quibus, licet justis, aliquid luendum superest; aut impeditur iis quos hujus vocationis inscios et in nativam finis hujus incapacitate reliquerunt Causae secundae (Quanam sit horum conditio, incertum). Neque tamen interea animae justae quae jam in vitam aeternam triumphant, aut debitam purgationem adhuc patiuntur, prorsus separantur a communione hominum in terris militantium; sed per preces aut ipsos adjuvantur aut ab ipsis adjuvantur.

Denique, in consummatione hujus mundi, unum cuique animae restituetur corpus, ut homo quisque jam totus, extremo ac publico Christi judicio, vel aeternae cum daemonibus paenae, vel aeternae cum Christo beatitudini maneat addictus.

Caput. II

Pars practica seu Ethica Christianismi

Ethica Catholica dat media quibus homo Christo capiti inveni et Deo finaliter sui possit. Complectitur praecepta ab omnibus implenda, et consilia evangelica quae Christus adjunxit ut homines ad summum sanctitatis fastigium ascendere possint.

Finis hominis gratiâ Christi restaurati, est Deus intuitive videndus ac possidendus. Homo igitur tenetur suos actus ad hunc finem referre.

Debet proinde tendere ad Deum, ut est veritas ipsa per fidem, debet amare Deum, tum, ut est bonum hominem beatificans per spem, tum, ut est bonum absolutum per charitatem. Totus esse debet in fugiendo malo, et in operando bono, ut perfectus sit, sicut Pater caelestis perfectus est. Unde.

I _____ Homo tenetur credere interne veritates a Christo revelatas et ab Ecclesiâ propositas. Eandem fidem publice profiteri debet, ut sic glorificet summam Dei veracitatem et Ecclesiae corpori per ejusdem fidei professionem coadunetur (Rom. X).

II _____ Homo tenetur sperare vitam aeternam seu finem supernaturalem et media quae Christus promeruit et Ecclesiae fidelibus applicat, ut sic glorificet summam

Dei perfectionem seu potius fidelitatem in promissis et donis, et Ecclesiae per eorundem sacramentorum participationem conjungatur.

III — Homo tenetur diligere Deum summe bonum et perfectum et proximum propter ipsum. Hoc est totius Ethicae catholicae fundamentale punctum; etenim plenitudo legis est dilectio quae singula corporis membra unit cum Christo et per Christum cum Deo ut sit ipse omnia in omnibus. Expressum habetur his duobus mandatis: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota animâ tuâ, et in tota mente tuâ. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. » Math. XXII. 37. etc.

Amor iste, justum movere debet ad gloriam Dei prosequendam, ad laudes et gratias ei agendas, ad divinam perfectionem imitandam, et ad mandata ejus observanda, uno verbo, ad Deo reddendum cultum internum et externum. Insuper diligendus est proximus qui ad imaginem Dei conditus, membrum corporis Christi, haeres gloriae caelestis est. Amor iste, ut pote efficax, proxima dispensare debet auxilia tum spiritualia, tum temporalia quibus indiget. Inculcat enim primum officia justitiae lege naturali jam injuncta, et dein susius prosequitur officia omnia erga omnes ad Dei et Christi imitationem exercenda.

Varia haec officia tam firmiter amplecti debet homo ut paratus sit charissima quaeque relinquere et

abscindere, si fiant impedimenta, etsi oculus pretio, manum vel pedem necessitate exaequent, ut relinquit omnia temporalia mala subire, et aspera cuncta perferre, si fiant media necessaria.

Hoc modo homo glorificat summam Dei amabilitatem et Charitatis per vinculum Ecclesiae connectitur.

IV_____ Tandem homo, fide illustratus, spe erectus, charitate accensus, per omnia a malo declinare et bonum prosequi debet.

Debet primum a malo declinare, etenim peccator de culpis praeteritis, tum opere, tum etiam solo corde commissis, paenitere et dolere debet; pronus ad malum, contra rebelles concupiscentias pugnare; imo et seipsum abnegare tenetur, siquidem ex amore sui inordinato depravati appetitus procedunt.

Homo bonum facere debet. Opus illud porro bonum est, quod non solum regulae externae nempe legi, vel consilio conforme est, sed etiam ex pura intentione procedit. Unde mera actuum legalitas multum ab eorundem moralitate differt. Merito igitur Christus carpit justitiam legalem Pharisaeorum qui pravis affectibus et vanis motivis opera in se optima, in totidem peccata commutabant; laudat vero actiones quae, licet ratione objecti, minimae essent, ratione tamen purissimae intentionis optimaevaserant. Unde monet Christus discipulos


suos ut eorum justitia abundet plus quam Pharisæorum, ut opera sua faciant coram Patre, qui videt in abscondito et thesaurizent sibi thesauros in caelo.

Præceptis suis Christus adjunxit consilia evangelica, quæ fieri a Christianis hortatus est, sed non præcepit. Hoc ergo interest inter consilia et præcepta quod præcepta omnibus de necessitate salutis sunt, consilia non item nisi forte quis ad consiliorum observantiam se voto obstinuerit.

Consilia præcipua sunt, castitas, paupertas, et obedientia. Castitas evangelica est propositum perpetuæ virginitatis vel continentiæ. Paupertas est abnegatio voluntaria divitiarum, ut sequamur perfectius vestigia Christi pauperis. Obedientia tandem evangelica est abnegatio propriæ voluntatis et propositum subjiciendi se in omnibus voluntati superioris alicujus.

Proposuit Christus ea omnia, ut res ex naturâ suâ eximias quæ ducunt ad perfectionem et faciliorem reddunt executionem præceptorum.

En summaria descriptio doctrinæ catholicæ cujus excellentiam in secundâ parte demonstrandam habemus ut Religionis nostræ divinitatem concludere possimus.



Secunda Pars.

Divinitatis Religionis Christianae.

Demonstratio.

Ex ipsius doctrinae excellentiâ

Prout in præcedenti Expositione vidimus, duplici parte constat Doctrina catholica, dogmaticâ scilicet et morali quæcum igitur seorsim æstimanda est excellentiâ. Unde duplex Caput.

Caput. I

De Dogmaticæ Christianismi excellentiâ

In Catholicâ dogmaticâ quæ modo exponebatur, quasi duplex gradus distingui potest. In unoquoque capite, alia puncta docentur eadem ac veræ quæque philosophia docet, alia autem puncta nova ei superadduntur. Hoc pro omnibus compertum est. Et enim veritates philosophicæ seu potius ordinis naturalis in æperiori luce collocantur et confirmantur, dum aliunde novus etiam et admirabilis quidem veritatum supra naturam ordo aperitur.

Sic dogmatica catholica confirmat naturæ

divinae unitatem, addit vero personarum trinitatem. Confirmat mundi creationem ex nihilo, demumque animae humanae spiritualitatem, libertatem, immortalitatem; addit autem Angelorum creationem et praesertim hominum, sicut et Angelorum vocationem supernaturalem et lapsum.

Insuper, silente hic penitus philosophiâ, nobis aperit totius generis humani reparationem a Christo, in illâ nempe œconomiâ, quae ab Incarnatione proficiscitur, in Redemptione explicatur, in Eucharistiâ consummatur.

Eandem, in quaestione maximâ finis nostri ultimi, confirmat existentiam praemiorum ac paenarum post hanc vitam, insuper vero horum naturam omni conceptioni supereminentem, atque paenarum non secus ac praemiorum aeternitatem declarat; addit et dogmata purgatorii, communionis sanctorum et resurrectionis finalis. Igitur nobis successive examinanda est et punctorum philosophicorum et dogmatum Christianismi excellentia. Unde duplex Articulus.

Articulus I.^{us}

Christianismi punctorum philosophicorum excellentiâ

Omnia quae tradit dogmatica catholica in primâ parte, seu potius in primo gradu, utpote rectae rationi evidenter consona, quoniam verâ philosophiâ patefiunt, nihil aut absurdi aut noxii continere possunt

Imo traduntur in formā mirabiliter necessitatibus hominum legitimis aptata, siquidem quaecumque de Deo; mundi et homines origine ac fine invenire est apud philosophos, dispersa, haesitanter asserta, operose demonstrata, abstractionibusque maximis involuta, jam in dogmaticā catholicā reperiens, in unum collecta, omnium captui accommodata, indubitanter affirmata.

Reipsa doctrinae philosophicae Scholarum omnium nunquam totam veritatem tenuit. Nec schola tantum a scholā, magister a magistro aut etiam discipulo dissentit; sed nec suis quisque principibus constans permansit, aut dubitanter tantum a se cogitata proponit. Inter innumeras scholas, quae optime merita sunt, ut Academia, Lycaum et Porticus, in multas magis ac magis diversas opiniones abierunt. Sic Plato ipse in suis operibus tractans de Deo, modo ens unicum, modo quamdam animam universalem profert. Aristoteles tam diffuse et dubitanter de Deo scripsit, ut atheus a multis habitus sit. Zenoni et Stoicis ipsis Deus erat igneus Cicero et Seneca tandem plerumque anxii et dubii exstiterunt.⁽¹⁾ Prior enim horum philosophorum sic orditur libros suos: De naturā Deorum: "Cum multae res in philosophiā nequaquam adhuc satis explicatae sint, tum perdifficilis

(1.) Cfr. Ciceron. — Pro Cluentio. — Epist. ad Messinium — Senec. Consol. ad Marciam C. 19.

« et perobscura est quaestio de naturâ Deorum. » Idem philosophus disserens : De animi immortalitate : « Ea quae vis, inquit, ut potero explicabo, nec tamen quasi Pitheus Apollo certa ut sint et fixa quae dixerò, sed ut hominibus unus e multis probabilis conjecturâ sequens : Ultra enim quo progrediar quam ut verisimile videam non habeo. » Ipse Socrates, qui in philosophicis quaestionibus totam aetatem consumpserat, in ultimo quem habuit ad amicos sermones dubitanter de vitâ futurâ locutus est.

Insuper doctrina philosophica maximis abstractionibus involuta est. Etenim Plato suam munivit obscurioribus metaphysicae ambagibus. Aristoteles mystico quodam sermone utitur vis doctis intelligibili. Stoici dicti sunt Dialectici, quia logicam praeter omnes excolerunt, quam subtilitatem in Ethicâ nimirum adhibuerunt.

Itaque insigne sine dubio fuit Dogmaticae nostrae munus quod haec omnia philosophiae puncta sine ullo erroris admixtione confirmaverit, omnemque suâ luce fugaverit anxietatem et obscuritatem.

Religio enim nostra ea possidet omnia quibus destituitur ratio etiam exculta Philosophorum, nempe scientiam completam, accuratam, quae excludit omnem dubitationem, methodum facilem, generatim omnibus hominibus accommodatam, imo et rudibus aptissime convenientem sicut et pueris,

quod certè non praestant philosophia. Omnia enim sunt clarè et dilucidè exposita, in omni sermone, ut omnes intelligant. Sic, apud nos, puer rudimenta Catechismi bene edoctus, tot et tanta scit et certiori modo ac Philosophi doctissimi et celeberrimi conceperunt. Tandem dogmatica indubitanter affirmat. Et sic non opus est inquisitione, nec acuti, nec perspicaci ingenio, et sine labore magno ex omnibus puncta philosophiae innotescant sine quam minimã anxietate.

Patente igitur tam clarã Dogmaticae catholicae excellentiã, in expositione et confirmatione veritatum philosophicarum, nobis pronum est concludere jam certè suprahumanæ originis ejus non parvam probabilitatem exinde surgere. Nam, ut ait Lactantius, « Quod si existisset aliquis qui
 « veritatem sparsam per singulos, per sectasque
 « diffusam colligeret in unum ac redigeret in corpus, is profecto non dissentiret a nobis. Sed hoc
 « nemo facere, nisi vir peritus ac sciens, potest:
 « Verum autem non nisi ejus scire est qui sit doctus
 « a Deo. Neque enim potest aliter repudiare quae
 « falsa sunt, eligere ac probare quae verã.» (1)

(1) Lactant. Inst. divin. l. VIII. c. VIII. cit. ap. Hooke. Ecceol. Migne t. II. p. 479.

Articulus II.

De Christianismi Dogmatum Excellentia

Dogmatica autem catholica, non tantum puncta quae philosophia vera docet, confirmat, sed novum adjicit veritatum ordinem, scilicet, dogmata quae efformant, sicut diximus, secundum dogmaticae nostrae gradum, seu partem superiorem.

Quorum igitur dogmatum nunc expendenda est excellentia, patefaciendo absolutam eorum irreprehensibilitatem, simulque perfectam naturae humanae convenientiam, quia in se directe verificari, imo saepe nec comprehendi possunt.

Exinde per se patet quam differat demonstratio sequens, ex illâ demonstratione ab intrinseco dictâ quâ Gunther, Froshammer, et alii cujusdam Germanicae scholae neoretici, veritatem Religionis Christianae directe demonstrare praesumunt, quasi nullum esset dogma mere positivum, sed omnia possent e principis rationis naturalibus logicâ necessitate deduci, et scientiâ pro doctis saltem, fidem facere posset quasi superfluum⁽¹⁾

(1.) V. Revue des Sciences eccles. Juillet 1869, pag. 42 et Revue des R. Pères Jésuites 1863, pag. 723 (ubi meditandum erit theologis. Breve a Pio IX, Pontif. Max. Die 11â. Decembris 1862. directum adversus temeritates horum philosophorum) - Cfr. et Conc. Vatic. Cap. IV. "Ac ratio quidem, etc...."

Aliquid hujusmodi jam tentaverat quidam theologus aevi me-
dii, Raymundus Lullius, qui, bonā cateroquin inten-
tione, articulos fidei rationibus necessariis demonstrative
probare vellet. Haec est impossibilis et periculosa metho-
dus quam rejicimus, sicut praecedentem. Attamen, si
ratio non patefacere possit dogmata, demonstrat quidem
veritatem fidei nobis, scilicet detegendo haec dogmata ma-
nifeste a Deo revelata fuisse. " Etenim sicut, inquit
Sanctus Anselmus, rectus ordo exigat ut profunda
Christianae fidei credamus, priusquam ea praesuma-
mus ratione discutere, ita possumus, postquam con-
firmati sumus in fide, studere, ut quod credimus,
intelligamus." (1)

Ratione igitur nobis ostendendum est illum con-
ceptum dogmatum catholicorum nihil absurdi aut noxii, (2)

(1) S. Anselm. (in. Deus homo. l. 1. c. 11.).

(2) S. Suarez: De fide. Disp. IV. Sect. III. Ultimum mysteria fidei
Christianae sint evidenter credibilia. N. 2. Primum (credibilitatis) motivum prin-
cipale sumi potest ex conditionibus vel qualitatibus ipsius doctrinae. ... Prima, est veritas
" sine admixtione alicujus falsitatis. Nam, ... eo ipso quod aliqua doctrina misceat
" aliquid falsum, etiamsi multa vera doceat, est sufficiens signum illam non esse a
" Deo; atque etiam e contrario, si doctrina sit omnino pura et quae non possit de aliquā
" falsitate convinci, magnum argumentum est quod habeat Deum auctorem; tum
" quia homines facile decipiunt, ... tum etiam quia multo facilius decipiun-
" tur: non enim potest homo sine Dei auxilio veritatem in omnibus assequi,
" quin interdum vel soepe erret et maxime in rebus divinis et quae ad
" immortalitatem spectant, ut ... ipsa experientia satis ostendit in
" omnibus philosophis et gentibus." — Cfr. De Lugo et coeteros quos citat,
De fide divina. Disp. V. S. IV. N. 48. 49.

habere, et insuper ad varia legitima quaeque mentis postulata et desideria cordis respondere ⁽¹⁾ Non quidem ad plenam omnium satisfactionem, sed certe quantum est ad directionem et consolationem vitae necessarium, quia, revelatio non homini patefecit quidquid comprehendere vel plane intelligere vellet, sed tantum ei affectu notitias necessarias ad actus suos his in terris dirigendos facillime in ordine supernaturali seu gratiae a Christo restaurato. Ad quidem sit dogmaticam catholicam modo plus quam humano seu supereminenti, ita ut, si quis, cogitatione complexus, hanc dogmaticam partem expendere voluerit, sine dubio, quasi attonitus stuperet sicut a facie sublimis aliquando contingit. Et eo magis penetraverit, in eisque meditatus fuerit, sentiet illam non ab hominum ingenio excogitam fuisse, quia vix ac ne vix quidem fieri potuisset, ut homo de se excogitavisset talia dogmata, non modo omnis absurditatis et nocuitatis expertia, sed insuper omnibus et solis naturae humanae necessitatibus atque aspirationibus legitimis perfecte aptata; proinde que concludet illam Religionis nostrae dogmaticam a numine sanctissimo ortam esse.

Quod ut pateat talis demonstratio; dogmata catholica praecipua seorsim expendere operae pretium nobis

(1) Cfr. Suarez, loco modo cit. N.º 3:..... Secunda conditio est..... ut (doctrina) omnia tradat quae ad rectitudinem vitae necessariae sint et sufficiant: nam,..... quia Dei providentia perfecta est, nihil in sua doctrina omittit quod ad vitae honestatem sit necessarium?

est, scilicet dogmata. De Trinitate, Angelis, Lapsum hominum
Reparatione ipsorum et tandem Fine ultimo.

I — De Trinitate. — Deus existit, sed quomodo constituitur ejus intima vita, quomodo Deus se cognoscat, se amet, quid producant in eo haec sui contemplatio et amor? Tales sunt quaestiones quae intellectui humano occurrunt, et in quibus explanandis frustra desudaverunt Philosophi, multa contraria asserentes, videlicet, indefinitum Dei incrementum, necessitatem actionis creatricis aeternae. Quis igitur, nos in altissima illa introducat penetrabilia? Solus Christianismus in dogmatica sua, sufficienter ac simpliciter respondet per Sanctissimae Trinitatis mysterium (!)

Pluralitas enim personarum in unitate naturae explicat haec diversa rationis humanae quaesita. Vita Dei interna nobis patet, sicut ejus beatitudo per generationem aeternam Filii a Patre et processionem Spiritus Sancti, amoris termini Patris et Filii. Scimus enim proinde quomodo Deus se cognoscat, quomodo se amet seu potius quid producant in eo intellectus et voluntas. Et ne putent adversarii illud mysterium absurdum esse. Nulla enim contradictio neque repugnantia cum principiis a ratione cognitis inveniri potest, sive consideretur mysterium Trinitatis, quoad suam expressionem generalem, unitatem naturae in multiplicitate personarum, sive quoad ea quae de unâquâque personâ revelata sunt, praecipue

(1) Bossuet. Elevations III. semaine. Perrone. Tract. De S. Trinitate.

scilicet generationem Verbi ac processionem Spiritus Sancti aeternam. Primum personarum multiplicitas in eadem natura optime rationi congruit. Quid enim magis delectat quam ordo, unitas in multiplicata, bene ordinata societas? Quisnam vero sublimior ordo, quatenus societas perfectior quam perfectissimorum sui juris individuorum in eadem natura numerica simplici subsistentium, ratione originis tantummodo distinctorum? Item est de generatione Verbi seu Filii et processionem Spiritus Sancti. Faecunditas est perfectio et quidem summa, si perfecta sit sui ipsius productio; Deo igitur, non faecunditas, sed tantum quod in creaturis faecunditati imperfectum annectitur, denegari debet. Hinc Dei Filius perfectus est sicut Pater, Deus de Deo, lumen de lumine, consubstantialis Patri. Pater autem amat Filium et ille Patrem, sed amore perfecto et substantiali. Hinc Deus Spiritus Patri et Filio consubstantialis⁽¹⁾

Tale est dogma Sanctissimae Trinitatis; ex dictis, concludere possumus, perspectis breviter ejus irreprehensibilitate mysterii, perfectaque ejus convenientia naturae humanae, suprahumanae originis probabilitatem, quia verisimiliter vices hominis excedit.

II De Angelis — Deus creavit mundum et in mundo homines. Num autem solos? Hic obvenit dogma de Angelis ut pote apprimè respondens huic mentis humanae quaesito. Nihil, sicut opinati sunt plurimi

⁽¹⁾ Richard de S^t Victor. De Trinitate.

philosophi rationalistae illogicum aut absurdum continent illud dogma. Siquidem non potest probari existentiae Angelorum impossibilitas. Cur reapse non existerent entia mere spiritualia? Cur supra mundum sensibilem non existeret mundus puris spiritibus, intelligentisque homini superioribus compositus? Ratio evidenter nobis dicitur Deum facere potuisse mundum spiritualem, suae naturae propinquiores, et inter ipsum et hominem quasi medium stantem. Sic enim cogitavit et ipse Plato egregius iste auctor Spiritualismi in Antiquitate. Insuper illud dogma ad legitima cordis humani postulata respondet, mentem enim elevat. "Cum Angelis, dicit, Sanctus Augustinus, sumus una Dei civitas, cujus pars in nobis peregrinatur et pars in illis opitulatur."

Ex his igitur manifesta est hujus dogmatis convenientia naturae humanae perfecta, quod nobis sufficit ad conclusionem stabiliendam.

III De lapsu hominis — Deus creando hominem, fecit illum rationalem et liberum; vocavitque eum ad aliquam sui ipsius cognitionem et fruitionem per speculum creaturarum, quia perfectiones divinae nobis tantum apparent in omnibus creaturis dispersae. Verum omnes homines multas in seipsis contradictiones, dignitatis maximae et infimae abjectionis sensus experiuntur. Nudum reipsa ullam inveniamus in nobis potentiam quã. Deo immediate frui possimus, e contra nimiam vim sensationis experimus atque inferiorum appetituum

praevalentiam et voluntatis impotentiam, miseras quoque
 prae caeteris creaturis sentire videmur. Sine dubio hunc
 statum naturae humanae sane competit ratio, et ejus
 aliam causam ac Dei primitivam ordinationem delegere
 conata est. Proinde de hoc non defuerunt commenta, partim
 ex traditionibus, partim ex philosophorum imaginatio-
 nibus conflata⁽¹⁾ Sed vidimus, in expositione dogmaticae
 catholicae in priori parte Dissertationis factâ, quomodo
 mirabiliter tractat Christianismus de hoc puncto.

Dogma enim catholicum, asserit hominem a
 quodam perfectionis et felicitatis statu lapsum, in
 praesentis aevi labores et æumnas non suo sed
 parentum peccato devenisse.

Porro in illâ assertionem dogmaticae nostrae ni-
 hil est quod non respondeat ad mentis humanae postulata
 et praesertim quod sit alienum a naturali Dei providen-
 tiâ. Etenim.

Primum quod Deus hominem primitivo
 creaverit multis, quibus nunc caret, instructum
 dotibus; quodque ejus conditio felicior fuerit, id olim
 ex traditione communi et constanti acceptum, omnes gen-
 tes crediderunt, quam populorum opinionem poetae in suis
 de auro seculo carminibus nobis reliquerunt, et ipsi etiam
 philosophi sapientiores, Pythagoras, Plato, et alii doctissimi

⁽¹⁾ V. nempe Platon passim - Circo. apud J. August.
 lib. IV. contra Pelagianos.

sortem hanc non primævæ hominis, sed calamitatis propter peccata expertæ confuse suscipiatisunt. Habet igitur dogmatica catholica in hâc parte consentientem tum veterum traditionem, tum philosophorum maximorum sententiam, proinde que ad mentis postulata nostræ apprime respondet.

Secundo quod hæc funesta mutatio in humanâ conditione contigerit ex culpâ primorum parentum, negari etiam non potest; nam certe non solum credimus, sed experti sumus homines a primis parentibus traxisse originem et semper in hâc conditione a primâ suâ ex illis natiuitate fuisse. Sententia Philosophorum veterum, Pythagoræ, Platonis et aliorum, qui ad tollendam omnem difficultatem, sinxerunt animas omnium hominum, ante natiuitatem in terris, vitam vixisse beatam; et ad luendas propter peccata in priori illâ vitâ admissa paenas, in corpora tanquam in carceres detrusas fuisse, caret omni fundamento. In hâc etiam parte nihil revera ponit dogma catholicum, sed factum, quod omnes experimur, declarat: non enim Religio catholica, facit nos miseros aut malos, sed rem quæ satis perspicua est et quæ agnita olim fuit ab omnibus ferè populis, confirmat. Præterea ista divinæ Providentiæ ratio, juxta quam derivatur in posteros parentum pœna, adhuc aliquatenus obtinet: Nonne liberi quotidie multorum malorum originem trahunt a parentibus, infirmam valetudinem, morbos et pravos

habitus? Nonne deprehendimus diversas esse valde generationes hominum, quasdam ignorantia torpere, cum in iisdem locis artes omnes et scientiae olim flourerint? Ista omnis varietas certe orta non est ex praesentis aetatis culpa, sed praecedentium generationum culpis.

Profecto magis luctuosa profluxit, ex primorum parentum peccato, calamitas posterorum quam nunc potest derivari; plura enim habebant primi parentes quae amitterent; et eo lapsus gravior esse solet, quod altior fuit status: universum etiam genus humanum repraesentabant et continebant, ideo quae ad omnes homines pertinebant eorum actus.

Ex his considerationibus satis patent irreprehensibilitas et desiderata humanae naturae et quaesitis aptitudo dogmatum catholicorum de hominis primae aevi destinatione et originali lapsu. Nos igitur dogmaticae nostrae excellentiam; proinde quae ejus suprahumanae originis magnam probabilitatem concludere possumus.

IV. De Reparatione generis humani. — Humanae nostrae lapsae statum actualem contemplans, sub conscientiae impulsu, non sine quadam anxietate ratio has quaestiones sibi ponit: Undenam praesertim oriri possit condigna pro peccatis expiatio? Quousque veniam sperare possumus? His autem occurrit Christianismi mirabilis aconomia quam vidimus expositam in priori parte. Dogmata Incarnationis et Redemptionis, dignam Deo religionem ac satisfactionem redditam declarant et justitiam inde cum misericordia mirabiliter conciliatam. Illic apparet

praesertim excellentia dogmaticae Christianae. Etenim si spectemus methodum, quam in reparando humano genere secutus est Deus, omnesque partes mediationis Christi, mire in illa elucere deprehendimus omnia Dei attributa, id que magis quam in alia quacumque hypothesis, ob duplicem causam; quod in ista reparatione generis humani, Deus se benignum praestiterit, cum maxima demonstratione, sapientiae, justitiae et sanctitatis; insuper et praesertim immensam generis humani charitatem significaverit.

Deus primum, benignum se praestitit cum maxima demonstratione sapientiae, justitiae et sanctitatis.

In Christiana enim dispensatione condonatur quidem peccatum, sed manet infinita inter virtutem et vitium distantia, manet peccatum dignissimum odio infinito et iracundiae divinae obnoxium. Ipsa constitutio primaeva non tam immutata est quam adimpleta et confirmata, omnia denique peracta sunt juxta ratas et immutabiles leges sapientiae. Manet certe infinita distantia inter virtutem et vitium, cum ad expiationem peccati persolutum fuerit pretium vere infinitum. Si enim ex una parte peccatum fuerit offensa infinita propter violatam infinitam Dei majestatem, sic etiam ex altera parte oblata a Christo pro nobis satisfactio valorem habet infinitum propter infinitam satisfacientis personae dignitatem. Manet etiam peccatum divino odio semper obnoxium,

ei que infinito, cum illud ultius sit Deus quantacumque potuit severitate in morte Filii sui. Ipsa quoque primaeva constitutio, quae perfectam postulabat obedientiam, non immutata est, sed potius confirmata; nam Christus, mediator et caput nostrum effectus, illam praestitit perfectam obedientiam ad quam primus parens tenebatur, et a nobis exigit obedientiam quantum nunc possumus perfectissimam. Omnia perfecta sunt juxta aeternas et immutabiles leges aequitatis et sapientiae. Hoc sequitur ex eo quod servaverit Deus suam primaevam constitutionem et infinitum revera testatus sit erga peccatum odium

Ergo, ut supra dixi, Deus se benignum ostendit cum maximâ demonstratione sapientiae, justitiae et sanctitatis: Sapientiae quidem, cum servaverit etiam in misericordia imperii sui majestatem et auctoritatem legum; Justitiae, cum juxta naturas rerum et immutabiles leges aequitatis, processerit hominum redemptio; Sanctitatis cum testatus sit Deus se maxime abhorere a peccato.

Ergo, ex hâc parte considerationis dogmaticae Reparationis hominum, dogmatica catholica est Deo dignissima propter excellentiam quam nobis exhibet.

Insuper Deus in hâc hominum Reparatione summam demonstravit erga humanum genus misericordiam et charitatem; neque si ullam aliam methodum secutus fuisset, tantam

potuisset demonstrare. Bonus nobis apparet ultra id omne quod et mens et cor mente audacius praesumere poterant⁽¹⁾

Etenim tria sunt quae, pro posse suo, amor appetit, scilicet, ut amans amato prior fiat, ut pro ipso patiat et moriatur, ut cum ipso unum fiat. Atqui dogmata Incarnationis, Redemptionis, Eucharistiae, haec tria pro nobis Deum fecisse testificant; ideo nihil est in toto Christianismo divinius, quam illa aconomia.

Illic reipsa Deus, in personam Verbi divini, cujus celsitudo omnes hominis fugiebat sensus, jam se nobis apprehensibilem exhibet atque e nostris unum⁽²⁾. Totam enim gentem humanam sibi cognatione conjungit, assumptam nostram e virgine naturam. His in terris vitam sibi eligit communissimam, pauperissimam, per quam virtutum plena omnium specimina dedit; ita ut suis adhaerentibus dicere potuerit: "Exemplum dedi vobis ut quemadmodum ego feci ita et vos faciatis." Propter nimiam suam caritatem quam dilexit nos, ut servos redimeret, mortem sibi praecipit quam Iusto ideali, ipse Plato convenientissimam judicaverat⁽³⁾. Maximam cum constantia et patientia crudelissima flagellationis tormenta, et acerbissimum crucis supplicium sustinet

(1) J. Aug. Nicolas. Etudes philosophiques sur le Christianisme. C. II. Chap. IX. La Rédemption. — Cf. etiam. Valsecchi De fundamentis Religionis, apud Moigne. Col. C. II. p. 1009, etc.

(2) Aug. Nicolas. Etudes philosophiques sur le Christianisme. C. III. ch. XVIII.

(3) P. Platon. De Republica l. II.

ad expianda nostra delicta. In extollendâ autem divi-
nâ hâc charitate ex hâc methodo reparandi generis
humani versantur plurimum auctores sacri: "Vere, in-
quit Apostolus, magnum est pietatis sacramentum: vere
apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum
unigenitum misit Deus in mundum ut vivamus per eum."
Et profecto si, juxta vocem Christi, "majorem dilectionem
nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro ami-
cis suis." quanto major est ejus benignitas, qui pro
impiis et inimicis animam suam tradidit? (1) Sic ar-
gumentatur Apostolus: "Ut quid enim Christus, cum
adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis
mortuus est? Vix enim pro justo quis moritur; nam
pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem
charitatem suam Deus in nobis, quoniam, cum adhuc
peccatores essemus, secundum tempus Christus pro
nobis mortuus est." (Rom. C. 5).

Demum suos in finem usque diligens, Chris-
tus ipsa assistere voluit in perpetuum. Ideo instituit
auctoritatem externam seu Ecclesiam, quae, ex promissis
suis, semper doctrinam divinam infallibiliter doce-
bit ac profitebitur, itemque semper manebit unita cuidam
centro ac capiti ipsi infallibili, semper ab eâdem pastorum
successione doceri et regi persistet, semper diffusionem prae
ceteris spectabili, et imo, pro unoquoque tempore

(1) Cf. Lacordaire. 66: Conf. versus medium.

aliquatenus universali, simulque semper sanctitate etiam singulari in mundo eminebit⁽¹⁾ Itemque dedit Sacramenta quorum institutione nihil sapientius. Sunt enim numero paucissima et observatione facillima, ut decebat legem libertatis, quae Deum adorant in spiritu et veritate: sunt, non exteriora tantum et vacua signa, sed divina virtute plenissima, et quibus intus anima perficiatur: sunt, ad privatas uniuscujusque Christiani, sicut ad communes Ecclesiae et Societatis necessitates accommodata, nascentem hominem spiritualiter regenerant, adolescentem corroborant, esurientem sustentant, aegrotum sanant, morientem solantur et adjuvant, nec non, sive Ecclesiae ministerio mancipandos consecrant, sive societati propagandae deputatos sanctificant: sunt significatione praestantissima, quippe quod, pleraque saltem, simul et disertam Mysteriorum ac Dogmatum fidem, et expressum officii nostri documentum et evidens praecipuorum Factorum quibus Revelatio nititur monumentum contineant⁽²⁾

Eandem Christus, nec satis habens Ecclesiae assistere per constitutionem quam aedificavit et per Sacramenta, seipsum non spiritualiter tantum sed et corporaliter, pro nostrâ duplici naturâ, nobis in Eucharistiâ tradit, in vividam nempe suae pro nobis mortis memoriam

(1) V. Tractatum de Ecclesiâ, auctore Brugere P. S. S.

(2) V. S. Thom. 3^a Quaest. LV. et seq.

atque unionis pignus in aeternâ vitâ consummandae.

Sic Christus Incarnatione, propior nobis factus, in Redemptione pro nobis passus et mortuus, nobiscum in Eucharistiâ unitur et quidem intimiori modo. Hoc sine dubio charitatis est summum, hucque recurrit istud Sancti Augustini: "Cum Deus sit omnipotens, plus dare non potuit; cum sit Sapientissimus; plus dare nescivit; cum sit Ditissimus, plus dare non habuit."

Ergo Deus summam demonstravit erga homines misericordiam et charitatem. Aliunde jam probatum est eum maximam demonstravisse sapientiam, justitiam et sanctitatem. Ergo mirabiliter elucet, in illâ æconomia Reparationis humani generis, Dei attributa.

Nobis igitur concludere pronum est, nihil esse, in hoc Dogmaticae nostrae puncto, vel illogicum, vel quod non correspondeat ad desiderata cordis, mentisque postulata hominum; et proinde Religionis nostrae supra-humanæ originis majorem probabilitatem adhuc inferre possumus.

V. De fine hominis— Dogmatica nostra loquitur etiam de fine nostro ultimo, et sic respondet huic maximi momenti quaestioni: Quisnam scilicet futurus sit nobis in alterâ vitâ status; utrum maneat ad arbitrium adhuc mutabilis; an in æternum fixus et stabilis?

Hæc questio philosophice mihi videtur insolubilis, quamvis multae fuerint rationis humanæ elucubrationes de hoc puncto. Quam vana fuerit omnis veterum

philosophia pro omnibus constat. Quamplurimi animarum quandam transmigrationem de hominibus in bestias et de bestiis in homines commentiti sunt. Pythagorei et Platonici, ipsi doctissimi, aliud principium assumpserant cum quo futura praemia et poenae vix consistere possunt, nempe animas hominum ex divinâ naturâ haustas, sempiternas esse, et a corporibus separatas in eandem Dei naturam referri ⁽¹⁾. Porro dogmatica nostra omnem mutabilitatis ac metempsychosis hypothesim, omnes que Philosophorum errores ac dubitationes excutiens, ab instanti mortis, aeternum peccatum, ac consequenter peccati supplicium, aeternam pariter justitiam ac justitiae mercedem proficitur. Hac sanctione ad aeternitatem usque pertingente nihil dignius Deo cogitari potest. Praemii perennitas infinitam eius Munificentiam, supplicii vero infinitam Justitiam ac Sanctitatem demonstrat: utraque summam arguit Sapientiam, quae legum suarum honori, quâ poterat efficaciam, consulere voluerit. Cum enim ita simus à naturâ comparati, ut praesentibus potissimum objectis commoveamur; opus fuit praemium, suppliciorumque pondere eorum compensari distantiam, et magnitudine futurorum jam nunc animis imprimi tam vividos spei ac timoris sensus, ut cupiditatis actu imminentis vim eliderent: nec verioribus minis coerceri poterant homines quos in praesenti vitâ voluptatem unius momenti calamitati plurimum

(1) J. c. Arnob. p. 29.

amorum praeponere saepissime videmus. Hoc igitur as-
 sertum dogmaticae catholicae circa finem nostrum, ex
 unâ parte, peccatores merito conturbat; sed plane logicum
 videtur ac supremæ justitiæ consentaneum; ex alterâ
 autem, justos tenet humiliter timoratos et tamen piâ
 in Deum fiduciâ pacatos, atque erectos. Nunc vero, si
 quaeratur in quo consistet æternum illud præmium aut
 supplicium; sublimis est responsio Christianismi. Etenim
 altissimæ philosophiæ, plusquam ulla alia religio,
 in hæc parte consonat ⁽¹⁾. Peccati paenam constituit
 non tantum in dolore sensûs, ignis ardoribus obnoxii,
 pro omnibus hominibus, sed præcipue in animi à
 Deo alienatione, cujus appetitus nobis etiam odienti-
 bus ac peccantibus insitus manet; aliunde meriti præ-
 mium reponit in primis in Deo; post exactam pec-
 catorum expiationem, possidendo. Exinde præsertim
 dogmatica nostra superassurgit atque hominis forsam
 exsuperat cordis aspirationes, cum Deum, summum
 bonum, nobis consequendum jam non mediate per cre-
 aturas, in earum speculo; sed immediate, per intuitivam
 visionem in cælis, beatificumque amorem, proponit.
 Quod autem addit dogmatica nostra de communione
 sanctorum, scilicet, ut vidimus, de unione animarum
 triumphantium in cælis, militantium in terrâ, pati-
 entium in purgatorio, id sine dubio mentis nostræ

(1) Cf. P. Gratry. *Connaissance de Dieu*. 2^e partie. Chap. IV.

quaesitis simulque cordis desideratis appime respondet. Ratio enim humana, sicut et cor humanum semper audacius sibi postulant utrum, post mortem, homines separati maneat ab omnibus iis quos praecipue dilexerunt hic in terris. Porro huic quaesito mire aptatur dogma de Sanctorum Communione. Postea, prout in priori Dissertationis parte constat, dogmatica Christiana futuram corporum resurrectionem subdit. Illud punctum, si recte intelligatur, nedum rationi contradicat, veracae completae hominis notioni apte congruit. Etenim in homine, corpus semper animae socium fuit his in terris, debet igitur esse ejus consors in reparatione alterius vitae. Ergo tales sunt assertiones dogmaticae catholicae, in quaestione de fine hominis ultimo. Quam omnia haec diversa puncta rationi cordi que hominis aptentur, ex istis brevibus considerationibus, unusquisque comperire potest. Exinde igitur possumus adhuc concludere quamdam originis suprahumanae nostrae Religionis probabilitatem, quia hoc verisimiliter hominis vires excedit.

Summatim igitur, ubicumque ratio vere loquitur, Dogmatica catholica ipsi perfecte consonat ita ut ea generatim omnia quae de Deo et de genere humani factis invenire est apud philosophos dispersa, vaga, et manifestis oppleta erroribus, apud Catholicos invenies in unum collecta, clare affirmata, et nulli vere errori immixta. Quanta inde oriatur jam praesumptio

de divinâ ejusdem origine supra indicavimus.

Itemque, ubi ratio deficit ac silet, ipsam Christianismus, in quantum necesse est, complet; et variis scientiarum quæ ad Deum et hominem attinent, postulatis respondet. In dogmaticâ, Christianâ, datur Metaphisicæ fastigium, quo ipsa terminetur ac coronetur; datur Psychologiæ fundus quo ipsa solidetur ac explicetur, datur Historiæ centrum quo tota convenit et colligatur; datur aspirationibus hominum terminus quo sine fine excitentur, salientur, exsuperentur ⁽¹⁾ Etenim, quod sedulo notandum est, ea omnia Christianismus non eo præstat semper modo in quem ingenium humanum ex se sponte ferretur, sed eo sæpe modo quo mens primum confunditur, uti fit, v.g. in Trinitate, Incarnatione; cor exsuperatur et quasi mergitur, uti in Redemptione, Eucharistiâ; aut etiam, pro suâ coecitate, vel mollitie, quasi offenditur ac refugit, uti in Peccati originalis propagatione et Paenarum perpetuitate. Et ea quidem omnia eo magis patent et patebunt, quo dogmaticæ nostræ altitudines altius penetrantur et penetrabuntur, sicut exoptandum est, per legitimam applicationem Philosophiæ ad Theologiam ⁽²⁾. Illud

(1) V. Joann. de Muller. Germanum historiæ percelebrem scriptorem Lettre à Ch. Bonnet. cit. apud D. Chassay. Défense du Christianisme. C. III.

(2) Cfr. eximiam epistolam P. Lacordaire ad. D. Aug. Nicolas in capite operis: Etudes philosophiques sur le Christianisme.

revera factum est Sancti Thomae Aquinatis tempore: Ex
tunc nova autem quaedam successit philosophia, neque
tamen theologia a veteris philosophiae consuetudine re-
cessit: Unde jam non ita inter Theologiam et Philoso-
phiam convenit prout necesse esset ad alias in dogmati-
bus speculationes denuo tractandas; neque ad obstare ces-
sabit, usquedum, restitutâ quoquo modo utriusque con-
cordiâ, via rursus detur ad interiora Christianismi dog-
mata scrutanda tuto et exponenda.

Utrum tamen illa Dogmaticae nostrae in suo
conceptu consideratio sufficere possit ad certam fidem de-
terminandam, ut pote deducens conclusionem impossibili-
tatis talis dogmatum complexionis humanitatis inveni-
endae; cuique e proprio sensu aestimandum relinquimus.
Nos sufficit exinde plurimas de illius suprahumanâ
origine, seu divinitate probabilitates magnas reportare.
Etenim hanc demonstrationem complere; et sic ad certi-
tudinem pertinere possumus, si addamus Ethicae nos-
trae, tum in suo conceptu, tum in suis simul effectibus
considerationem.

Caput. II

De Ethicae Christianismi excellentiã

In expositione summaria doctrinae Catholicae, in prima parte Dissertationis facta; compertum habuimus principium fundamentale totius Ethicae esse praeceptum Charitatis, juxta illud Apostoli: "Plenitudo legis est dilectio." Reipsa quemadmodum tota Christianismi dogmatica ab amore Dei in mundum derivari potest; ita et tota ejusdem ethica ab amore hominum in Deum.

Ideo in demonstratione praesenti, relictis aliis praeceptis scilicet Fidei et Spei, in praecepto Charitatis tantum immorabimur, quia conceptus et effectus ejus, ut pote totius Ethicae principii fundamentalis, sunt eximii et proinde excellentiam Ethicae nostrae clarius patefaciunt.

Nobis igitur examinandae sunt tres praecepti charitatis partes scilicet, Dilectio Dei proximi et sui ipsius. Et cum ex his mandatis fluunt diversa praecepta et consilia, illa nunc juvat expendere, tum speculative, qualia a Christianismo proponuntur, tum etiam practice, qualia apud Catholicos passim excoluntur; imo et statim comparare quantum

fieri poterit, cum iis quae huiusmodi apud coeteras Religiones aut Philosophias inveniuntur.

Articulus I

De Dilectione Dei.

Ratio humana demonstrare quidem potest quamdam dilectionem Deo reddendam esse ut pote enti infinite perfecto, hominum simulque mundi totius creatori, provisorio et conservatori. At tamen illa sublimis veritas a quibusdam tantum philosophis suspicata, generatim fuit ignota. Et Platone quidam amor Dei commendari videtur, uti censet Sanctus Augustinus Platoni satis amicus, sed ita tamen ut Deus illi nec nominetur et impersonaliter tantum considerari videatur tanquam Pulchrum ideale. Egregii enim philosophi animus, ex materiali pulchro, insurgit gradatim, ad considerationem Pulchri idealis in se subsistentis, et illius causam splendoris, amorem commendat. (1) Cicero de officiis hominum late disserens, uno tantum verbo commendat pietatem erga Deum ut pote maxime utilem. (2) Eandem, in

(1) Cfr. Platon (In Symposio) cit. apud S. Aug. in Civitate Dei lib. VIII. Cap. VIII.

(2) Cicero (De officiis lib. II. cap. IV.

antiquitate, Deum esse amandum vix ab aliquo auctore dictum est, ante Senecam et Marcum Aurelium, qui verisimiliter Christianismi jam orientis afflatus senserant (1)

Insuper illa Dei dilectio a multitudine antiquitatis populorum ignota, a quibusdam philosophis suspicata, ubique practice mittebatur. In omnibus enim gentibus, erga Divinitatem nullus erat interior sensus, nisi forsan temporalium spes aut metus! Absurdum namque fuerit, inquit Aristoteles, si quispiam dixerit se Jovem amare. (2) Et item erat de aliis Diis qui non erant nisi vitiorum cupiditatumque cohors. Populi reipsa illos adoraverunt, sed nunquam eos dilexerunt. Illud autem praeceptum dilectionis Dei super omnia a Christianismo solo ponitur, pro fundamento totius Ethicae. Sola enim Religio nostra, ut jam vidimus, praecipit homini dilectionem Dei internam. Exigit nempe exclusionem omnis amoris qui non fundamentum habeat in Deo; et manifestationem dilectionis praecipue per adimplerionem voluntatis divinae, per subjectionem voluntati divinae, sive in bonã sive in malã fortunã; per prosecutionem gloriae Dei. De facto, illa dilectio Dei praecepta, passim a fidelibus excolitur in duplici

(1) Cf. De Maistre. Soirées de St. Petersbourg. 9: Entretien

(2) Magn. moral. II. 11. alias 13.

gradu scilicet, in gradu praeceptis imperatur, et in gradu ad quem consilia evangelica hortantur. Christiani enim multi in praxi mandatorum assidua instituti sunt dilectione sua erga Deum. Alios autem ille amor ad heroicum virtutis gradum duxit, per expiationes voluntarias quae maximum in supremam justitiam obsequium constituunt (1) Ex quo re ipsa tempore, sublimis Crucis stultitia mundo apparuit, nunquam defuerunt in Ecclesia membra quae solo Deo per heroicum omnium virtutum exercitium placere studuerunt. Illud constat ex omnibus historiae monumentis. Id quotidie operatur Dei dilectionis praeceptum in Christianismo injunctum. Quanta igitur sit excellentia Religionis nostrae in hac Ethicae parte, unusquisque jam videt. Sed amplius apparebit illa superioritas, si considerantur effectus hujus praecepti immediati, scilicet cultum et honorem quos Christiani Deo reddunt. Cultus noster non est frigidus, ut apud omnes Rationalistas, nec malorum passionum accensivus ut apud Paganos, sed purus simul et expressivus et naturae hominis tum morali, tum physicae mire adaptatus. Haec satis nota sunt ut evolutione non indigeant, ideo ad secundam partem praecepti Charitatis statim devenimus.

Articulus II.

De Dilectione Proximi.

In nostrâ Religione, homo tenetur diligere Deum, sed etiam proximum suum.

Apud veteres, notio humanitatis ut pote magis sensibus obvia quam notio Divinitatis, tantisper conservatur. Unde aliqua imperfecta charitas a quibusdam retinetur in homines quos sibi proximos habent. Porro jam ii soli pro proximis communiter habebantur, qui civilitatis juribus cum ipsismet consociabantur, cæteris omnibus generatim in hostes aut servos quasi extra humanitatem rejectis. Sed insuper illud factum erat peccatum. Ob quam causam merito laudatur Cicero eo quod commendaverit caritatem generis humani cui minime consonabant mores communes et ipsum jus publicum totius antiquitatis. Attamen hæc pulchra commendatio, non nisi obiter facta est ab egregio philosopho; et reduci videtur illa caritas ad perpaucis officia proximo reddenda sine ullo dispendio.

Christianismus vero, hoc homines diligendi præceptum nedum restringeret, ad omnes extendit. Dilectio singula indiscriminatim corpora

(*) J. Ciceron. De finibus bon. et mal. l. V. CXXXIII

membra unire debet cum Christo et per Christum cum Deo, ut sit ipse omnia in omnibus. Christianis nulli sunt hostes aut servi; quia in Religione nostrâ profitetur unusquisque omnes homines ad imaginem Dei conditos fuisse et ad hæreditatem gloriæ cælestis destinatos.

Tale præceptum generatim observatur a fidelibus et in perfectioribus animis ad heroicum gradum passim exaltatur, per consiliorum evangelicorum praxim continuam (1) Hinc oriuntur in Christianismo illi mirabiles effectus quos solus produxit.

Ex illo enim dilectionis proximi præcepto, fluunt extraneorum, ipsorumque inimicorum amor, pauperum vel maxime derelictorum multiplex assistentia (2) voluntaria in unamquamque humanitatis necessitatem servitia (3) Religio nostra reapse produxit et quotidie producit, virorum et mulierum instituta quæ proximo perfectissime inserviunt. Quis non illam demiretur sæcunditatem ex quâ, variis sæculis et locis, tot ordines hospitalæ, qui pauperibus subsidia, aegrotis curas subministrant, ut Deo reconciliati beatâ fine quiescant; tot ordines Apostolicæ, qui Evangelium pauperibus,

(1) V. Lacordaire. Conf. 24.25.

(2) V. de Champigny: De la Charité Chrétienne.

(3) V. Lacordaire. Conf. 36.

infidelibus praedicant, et veritatem ejus sanguinis effusione libenter obsignant; tot ordines docentes; qui modestiâ morum et vitae auctoritate commendabiles, pueror doctrinâ caelesti et Christianis moribus informant; tot ordines militares, qui olim societatis Christianae utilissimum contra Islamitarum et infidelium invasiones praestiterunt auxilium.

Insuper, illo dilectionis Proximi praecepto, Christianismus, per mundum serpens, paulatim societatis humanae fundamenta renovavit. Siquidem successive, in decursu temporum, familiae constitutionem restauravit, privatis dignitatem libertatemque asuerit, auctoritatis publicae stabilitatem auxit, jurandem induxit aequitate plenum.

I Christianismus familiae constitutionem restauravit ⁽¹⁾

Etenim tribus personis, patre, matre et liberis constat familia. Porro tristissima erat, et nunc est in regionibus infidelium, tum uxoris, tum liberorum conditio. Uxor omni dignitate spoliata erat, ancillae instar laboribus onerabatur, vitam despectam, absque instructione et saepe in latebris domûs perpetuo captiva degebat. In matrimonium vendebatur et emebatur, colligendae successionis, tutelae

(1) V. Lacordaire. Conf. 34.

filiorum gerendae incapax declarabatur, post mortem mariti ipsamet tutelae subiciebatur. Indissolubilitati matrimonii subrogata erat effrena repudiationis facultas, quā maritus uxorem minus gratam velut aliquid inutile e foribus eiciebat. Unitatis loco, fore ubique admissa erat polygamia; quae mulierum in gynaeceo inclusus, libidini despotae inserviebat. Liberorum jura nulla erant, pater absolutā et illimitatā in eos potestate abutebatur. Illorum occisio, expositio, venditio, nummuli restrictio, immolatio in Deorum sacris, nullis legibus prohibita erant, sed juri et aequitati conformia habebantur.

Porro Christianismus, uxoribus dignitatem restituit, dum libertatem, instructionem, capacitatem possidendi et caetera jura civilia vindicavit; dum eis triplex in societate officium commisit: viris morum lenitatem inspirandi, familiae membris, filiis in juventute, viris in negotiis, parentibus in senectute et morte suaviter assistendi, denique pauperum famem sedandi, vulnera emendandi. Indissolubilitas matrimonii naturaliter, restitutā mulieris dignitate, secuta est. Utamen, tanta est corruptio naturae humanae, ut principium indissolubilitatis, non nisi post diuturna Ecclesiae contra cupiditates principum ac magistratum societatis certamina, praevaleat. Monogamia, ex eodem principio nata, semper praevaleat. Haec est authentica matrimonii

Christiani regula.

Liberi etiam plenā gaudent dignitate quam naturae humanae vindicavit Ethica Christi. Unde actus supradicti, qui Paganis non solum liciti, sed necessarii videbantur, nunc nefandi apparent, nec solis Christi praeceptis repugnant, sed ipsis civilibus legibus severissime plectuntur.

Sic familia christiana ad normam familiae sanctae restaurata est Religione nostrā praeceptum amoris proximi sicut sui ipsius injungente.

II. Christianismus asseruit quoque privati dignitatem et libertatem.⁽¹⁾

Etsi, ut omnibus patet, cuncti homines sint ex origine fratres, nullibi tamen in mundo pagano viguit fraternitas effectiva, nec, post Christum, in regionibus infidelium et Mahumetanorum obtinet. Totum genus humanum in duas classes civium nempe et servorum divisa erat.

Servorum multitudo, si cum numero civium conferatur, ingens erat, ut constat ex omnibus historiae monumentes. "Romae indicta est aliquando sententia, ait Seneca, ut servos a liberis cultus distingueret. Deinde apparuit

(1) P. Hallon. Histoire de l'esclavage dans l'antiquité.

quantum periculi immineret, si servi nostri nos munerare coepissent. Item erat in plerisque barbarorum regionibus. Porro haec vigeat opinio servos natura minus esse perfectos quam liberos et ad istorum servitium natos. Non autem vulgi tantum, sed ipsorummet philosophorum erat tam nefanda sententia. "Nihil sanum esse in animâ servi, ait Plato (2) Aristoteles docet: "Servos non esse nisi instrumenta in manu dominorum, illorum parum differre a brutis." (3) Nec id Graeci tantum, sed et Germani, quamdiu fuerunt pagani, idem sentiebant. Lex Frisonum haec habet: "Si quis servum alterius occiderit, componet juxta quod eum aestimaverit dominus similiter equi, boves." Item Romae statuit lex Aquilina. Hinc miserima erat servorum conditio. Qui enim ut res domini, ut jumenta reputabantur, etiam veluti jumenta tractabantur. "Apud omnes gentes, ait Justinus, dominis in servos vitae et necis potestas erat; et quodcumque per servum acquirebatur, id dominis acquirebatur." (4)

Ut fons servitutis praecipuus assignari potest oblivio dignitatis naturae humanae. Haec enim, ut pote innumeris infirmitatibus et vitiis, praesertim in infimâ plebe, subjecta, summo despectu digna

(1) De Clement. lib. I. Cap. XXIV.

(2) V. Platon. De legibus. lib. VI.

(3) V. Arist. De Republica. lib. I.

(4) V. Just. lib. II. Cap. VIII. — Cf. etiam Seneca Ep. 47.

videbatur.

Porro Christianismus hunc fontem servitutis prius desiccavit, dein servitutem ipsam successive abolevit. Causam servitutis praecipuam abstulit, hominis originem et dignitatem naturalem, quã imago Dei est, in memoriam revocans, supernaturalem vero, quã frater Christi, haeres Dei est, restaurans, restauratque hominis amorem inculcans, et sic efficacissimum fraternitatis vinculum inter homines, stabilivit. Ex prudenti dilectionis huius praeccepti applicatione, servitutis abolitio sensim sine sensu secuta est. Non enim subito et violenter hoc opus conficere tentavit Religio nostra, ne, propter infinitum servorum numerum, orbis seditionibus conflagraret, sanguineque inundarentur provinciae, sed constanter sollicita fuit, in sublevandã servorum sorte, in assignandis mediis ad totalem servitutis abolitionem promovendam. Copiosis enim monumentis istas asserctiones confirmant auctores qui de hoc puncto tractant ex professo (1) Haec nobis summaria sufficiunt ad superioritatem Ethicae christianae in hoc puncto consignandam, ita ut possimus, ex ista brevi consideratione, suprahumanæ ejus originis magnam probabilitatem manifeste pro omnibus concludere.

(1) Omnibus loco audiat *Balmes* in suo opere cui titulus:
Le Protestantisme compare au Catholicisme, praecipue Cap. XV.-XIX.

III Christianismus insuper auctoritatis publicae stabilitatem auxit.⁽¹⁾

Reipsa triplex est conditio societatis constituendae; unitas, quã ejus membra locis et cupiditatibus ab invicem separata, in idem corpus colligantur, ordo; quo relationes a jure determinatae inter cives servantur; potestas quã societas contra injustas hostium aggressiones protegitur.

Porro vis materialis, teste historiã, non sufficit ad unitatem, ordinem, potestatem, in societate stabilienda; sed requiritur in magistratu supremo; auctoritas quae libere a subditis acceptetur seu quae ex obedientiã ac veneratione subditorum procedat.

Obedientia porro est spontanea sui voluntati alienae subjectio, quã remota, unitas, ordo et potestas in societate stare nequeunt. Veneratio autem est reverentia amore temperata, quã sublata, obedientia durabilis existere nequit.

Atqui, extra Christianismum, obedientia et veneratio nullibi in juxta mensurã reperiri potuerunt, ut essent auctoritatis et stabilis societatis fundamenta. In Oriente, ubi principes veluti Divinitatis participes venerabantur, illimita illorum auctoritas fere semper in tyrannide degenerabat, quam mox subditi violentã

⁽¹⁾ J. Lacordaire. Conf. 35.

morte, coercebant; sicque societatum orientalium instabilitas nunquam emendari potuit. In Occidente, auctoritas magistratum sic a populi suffragiis dependebat, ut nullibi regimen politicum stabile condi potuerit. Hoc quidem systema produxit senatum Romanum, qui morum simplicitate, arte peritissima; secundisque bellis, imperium per quinque saecula conservavit. At per Caesarem eversum est, moxque sub Nerone et Helio-gabale ad systema orientale defluxit. Ergo nullibi auctoritas sufficiens et societas stabilis creari potuit.

At, sub influxu Ethicae catholicae, status politici mirae stabilitatis conditi sunt. Evangelium duplex in auctoritate distinguit elementum, aliud divinum, siquidem omnis potestas a Deo est, aliud humanum, quatenus principes mandatorum populi, juxta formam consensu communi determinatam, constituuntur. Lex authentica inter principem et populum vigeat; scilicet lex evangelica, ab Ecclesia interpretata, quae principis officia erga subditos sub destitutionis poenae implenda imponebat; et quae populo obedientiam ac venerationem erga principem praescribebat.

Hinc, in Europae monarchiis, obedientia principi fideliter praestabatur, excepto casu quo lex ejus cum lege divina, ecclesiastica, aut cum patriae bono, pugnabat. Veneratio eidem tanquam patri per delicatissimos honores et fidelitatis sensus adhibebatur. Ethica

igitur christiana auctoritatem firmam et gubernia stabilia condidit; principes non paucos Carolo Magno aut Sancto Ludovico similes produxit, ceteros vero, licet minus dociles, ab extravagantiâ regiminis orientalis semper cohibuit.

IV Christianismus tandem juris æquitatem fundavit.⁽¹⁾

Jus est id quod cuique debetur. Dantur principia juris elementaris ubique recepta: at particulares inter personas resque servandae relationes legibus determinari indigent. Societas enim absque istâ officiorum specialium determinatione stare non posset: unde omnes societates suos leges habuerunt.

Porro jus et leges antiquitatis, si excipitur lex Mosaica, destituta erant triplici caractere, qui juri perfecte essentialis est. Etenim.

In se, caruerunt caractere æquitatis, quo lex omnium jura exprimere et consecrare debet. Legislatores scilicet et rerum naturas et relationes imperfecte tantum noverant, ideoque easdem suis legibus exprimere et sancire non poterant. Relative ad durationem, illis defuit stabilitas, seu vis sufficiens quâ cupiditates adversas jugiter cohibere valuerint. Stabilitas ista, licet

(1) V. Lacordaire. Cf. 32.

in votis omnium legislatorum fuerit, a nemine tamen obtenta est. *Relative ad spatium* caruerunt universalitatis caractere, de quo ne cogitauerunt quidem legislatores. Leges enim solā pro suā civitate condabant, ceteros vero tanquam hostes debellare, servituti et exterminationi devovere licitum esse statuebant. Et in ipsā civitate, solus civis jura et privilegia obtinebat, dum pars incolarum maxima, servi videlicet, totaliter ab iis exclusi erant. Societas tali jure constituta, res flebilis miserimaeque nobis appareret.

Atqui Ethica christiana, seu potius lex evangelica istam legum gentilium inhumanitatem penitus abolivit. Etenim, aequitati adeo conformis est, ut adversariis fatentibus, lex perfectior concipi non possit. Immutabilis est; etenim Evangelium non sub formā juris, sed sub officii formā hominibus traditum est. Unde a potestate publicā violari nequit, cui nullum contra officium jus competit.

Universalis est, etsi enim Christus inter Judaeos, praesudiciis nationalibus implicatus, sub jugo Romanorum adoleverit, minime tamen se Judaeum aut civem Romanum professus est, sed Filium hominis se declaravit. Ex illo igitur tempore, solum hominis nomen ad auxilium et protectionem obtinendam sufficit. Dicitur enim: "Euntes, praedicate Evangelium omni creaturae. — Jam non est servus, neque liber." Ideo Evangelium inter Christianos, jus gentium

regula omnium relationum fundamentalis, norma generalis morum evasit et in ipsos infideles quamdam influxum quoad relationes internationales exercet.

At tamen jus istud universale, particularia regnorum jura et constitutiones minime abolevit, sed dispositiones egoismo pagano fundatas expunxit et benevolentiae universalis principium et quasi spiritum novum iisdem inufflavit ⁽¹⁾

Hic est praecipuus effectus Ethicae nostrae, et proprie praeccepti dilectionis proximi. Hoc pro omnibus competum est.

Ex istis considerationibus diversorum effectuum Ethicae nostrae, dilectionem proximi omnibus asseclis imponentia, manifesta est ejusdem supernaturalis efficacia. Nunc de praeccepto dilectionis sui ipsius tractandum habemus, antequam concludamus.

Articulus III

De Dilectione Sui ipsius

Erga nosmetipsos, Christianismus, non modo philosophorum optimorum instat, homini praecipit ut suas moderetur passiones per temperantiam; verum etiam unumquemque hortatur ut totius quidem

⁽¹⁾ J. Croplong. De l'influence du Christianisme sur le droit Romain.

sibi intentionaliter moriatur pro peccati expiatione, simul autem ex caritate Deo et fratribus suis vivat realiter.

Exinde oriuntur in Religione nostrâ, illae virtutes reservatae, scilicet, soli Christianismo propriae, nempe, humilitas, paupertas et mortificatio, continentia perfecta, quae coeterum virtutes non modo in ipsius individui meritum, sed etiam in Dei honorem et proximi utilitatem vergunt. (1)

Illo re ipsa principio sublimi expiationis intentionalis peccati, ad exemplum Christi, Religio nostra sola in animis fidelium multorum, has virtutes praefatas generare potuit. Cum enim virtus nihil aliud est quam veritas intellectu percepta, affectu complexa, et praxi excitata, Ethica christiana, illustravit mentes, et suavit quod humilitas, minime vero superbia, quâ naturaliter imbuitur homo, lex sit mentium; quod castitas, minime vero concupiscentia, cuius rebellio naturaliter domari nequit, sit lex carnis; quod paupertas spiritus beatos faciat et relinquentes omnia propter Christum centupli coronâ remuneret. Insuper excitavit affectus, ut cor mansuetudine humilitatis, potius quam superbiae dominatione delectaretur, ut gaudia puritatis voluptatibus anteponeret, ut superabundaret gaudio in laboribus, aerumnis et tribulationibus apostolatus; ut in Xenodochiis triste infirmitatum corporis et animae spectaculum

(1) J. Lacordaire. Cf. 21. 22. 23.

239

per totam vitam cunctis mundi deliciis et honoribus praeferret. Eandem, voluntatem ad praxim applicavit, quae difficultas propter humanam infirmitatem prioribus multo major est. Experienciã enim testatur multos veritatem perspectam habere bonumque diligere et tamen difficultate victos, illud actibus implere non posse. Mirra igitur efficacia fuit Ethicae nostrae in hoc puncto. Sic enim fideles prorsus innumerabiles in praxi harum virtutum perfectissimã instituit nostra Religio.

Effecit nempe humiles mente cordis sui qui superbiam seu inordinatum suũ amorem ex quo nascitur odium superiorum et aequalium, despectus inferiorum, penitus protriverunt; qui, ad exemplum Christi, formam servi propter nos, induentis, superioribus facti sunt subjecti, aequales honore praevenerunt et inferioribus se libenter communicãrunt. Effecit insuper castos corpore, qui devicerunt rebellem et depravatum illum carnis sensum. Innumeri, illicitis voluptatis ex Christi et Virginis Deiparae amore superatis, aut continentiam virginalem, aut castitatem amplexi sunt; in juventute puritatem, in sacerdotio aut cœnobio continentiam, in matrimonio castitatem professi. Et licet non omnes Christiani huic castitatis legi fideliter obsequantur, hujus tamen virtutis influxum aliquem luxuriae ipsimet servi experiuntur, siquidem nemo hodie non reprobatur publicos excessus, qui ante Christum, impune grassabantur.

Effecit tandem pauperes spiritu, qui nempe externis fortunae bonis ita usi sunt, ut eis renuntiari pro Dei gloria et hominum salute semper fuerint parati; et alios, pauperes, qui omnibus terrenis rebus et delectamentis contemptis, Deo et proximo perfectius inserviunt.

Tales virtutes, vel humilitatem, castitatem et paupertatem, proinde que mortificationem, Christianismo proprias, praesertim exercuerunt; in gradu heroico innumerae in Ecclesia societates, quarum jam mentionem fecimus, de dilectione proximi tractantes. Illic patet praecipue superioritas Religionis nostrae, quando consideratur aliarum doctrinarum impotentia ad tales effectus producendos.

Cultus enim religiosi, qualis Gentilismus, pessimis quibuslibet inspirationibus indulserunt. Quoad castitatem prorsus inefficaces fuerunt, imo immoralitatem fovērunt. Inter Gentiles re ipsa voluptas publice grassata est; suadentibus numinibus, imo divinos in toto orbe obtinuit honores. Apud Mahometanos, mulierum greges captivi detinentur ut vir despota ad nutum et pro libitu eis uti et abuti possit. Nullam supremam sui abnegationem et heroicum terrenorum despectum, propter Dei et proximi amorem, inspiraverunt.

Item est de systemate Rationalistarum humilitatem enim penitus evellit. Dum privatam

rationem, spectatā revelationis et traditionis auctoritate, ut
 exclusivam veritatis regulam proponit quasi solvendo des-
 tinationis humanae problemati sufficiat, hominem cum
 Ente supremo identificat, quod est superbiae cumulus.
 Castitatem aufert, Etenim ex impio principio quod homo
 sibi sufficiat et a nullo ento superiore dependeat, secu-
 ta est illa horrenda corruptio quae, verous finem saecu-
 li ultimi, et inter perturbationem gallicam, apud nos
 grassata est, meretricibus honores divinos impenderunt
 rationis sectatores. Abnegationem sui genitus ignorat
 numquid innumeri, rationalistarum principia secuti,
 aerumnas ab amore Dei toleraverunt? Numquid
 apostoli numerosi barbaris in tenebris sedentibus evan-
 gelium rationis praedicaverunt? Numquid verbera
 supplicia mortem sustinuerunt? Quot tandem vir-
 gines rationis purae claritate illustratae, pauperes
 miseros, morituros solatae sunt? Patet igitur evi-
 denter superioritas Ethicae nostrae in omnibus aliis
 moralibus, pro praeepto dilectionis sui ipsius in con-
 ceptu simulque effectibus considerato. Nunc ad con-
 clusiones ex istis considerationibus in singulo chari-
 tatis praeepto factis, deducendas, deveniemus. Igitur.

Summatim haec omnia in his Ethicae nos-
 trae fundamentalibus praeeptis, scilicet charitatis erga
 Deum proximum et seipsum, non modo nihil pravi et no-
 xii important, sed et mire conveniunt ad naturam humanam
 recte instituendam ac perficiendam, et ipsam revera ita

instituant ac perficiunt supra id quod naturaliter sperari poterat.

Itaque, juxta principia jam supra in demonstratione Dogmaticae excellentiae posita, si Ethicae catholicae quae exposuimus praecepta et mandata, speculative et in suo conceptu considerentur, ingenii humani inventionem excedere et sine dubio non ab alio, quam ente superiori, scilicet Deo, inventore prodire posse videntur. Praesertim quum ipsis conferuntur tum philosophorum, tum falsarum Religionum elucubrations quae tot et tantis defectibus, imo et pravitatibus laborant.

Insuper, si practice et ex effectibus, expendatur quam potens simul et pura fuerit eorum efficacia; multo evidentius adhuc haberi debet supernaturalis et divina. Etenim homo, etiamsi potuisset de se haec supra dicta Ethicae nostrae praecepta invenire, certe non potuisset vires voluntatibus addere sufficientes ad exequenda ea quae per se natura humana exsequi non posset; et idquidem non semel tantum, sed quotidie et perseveranter. Hoc praecipue etiam apparebit si tales effectus cum aliorum effectibus systematum Religionis comparentur. Nusquam alibi adeo tenax et multiplex invenitur in proximum charitas. Eandem nusquam alibi invenitur illa animi virtus ac serenitas, de qua dictum est: *Ex ipsa cujusque sancti animam quam optime demonstrari Christianismi veritatem.* Igitur Religio nostra, quoad suam doctrinam moralem, prout ex parte quidem sed essentiali, imo fundamentali considerata manifeste divina probatur. Aliunde jam supra constat, quoad doctrinam dogmaticam, illam non esse Deo indignam, imo supernaturaliter datam fuisse.

Ergo stat thesis nostra.

Scholium.

Cum plenā certitudine morali, nunc, ex diversis præcedentibus considerationibus, Religionis nostræ divinitatem concludere possumus. Etenim si non hæc esset nobis vere via ad Deum, si, contra omnem probabilitatem, religio hæc falsa foret; homines, non jam tantum inconsiderate et excusabiliter, sed logice prorsus et obligatorie, versarentur in necessitate illam admittendi ut probabilissime veram, et practicas ejus consequentias, pro norma totius vitæ incunctanter amplectendi.

At qui, si ad considerationem Providentiæ Dei erigerimus, et per piissimam Dei in homines voluntatem intelligere incœperimus; jam sentiemus Deum ut pote hominum patrem summo veracem, sanctum ac bonum, non posse permittere ut homines ita in necessitate veniant falsam Religionem admittendi ut probabilissime veram et ad normam illius totam vitam suam dirigendi. Et id certe Deus eò minus permittere potest, ratione rerum, quo error hic versaretur in materiã quã gravior non est, quippe ad gloriam Dei apud homines et totius vitæ humanæ honestatem ac felicitatem proxime spectat; ratione personarum, quo homines tanto plus huic errori cum suis consecrariis sese addicerent, quanto rectius ratiocinantur et fidelius conscientiæ obsequuntur, ita ut optimæ quæque

generis humani partes jam prae caeteris errori et malo traderentur; ratione consequentiarum; quo haec falsa ex hypothesis religio cum suis consecrariis practicis, majorem imo et maximam in mundo extensionem et durationem de facto sit habitura; inde certe periclitaretur finis creationis, cui Deus e sapientiâ suâ vigilare tenetur. Ergo quisquis de Deo, hominum patre, filialiter et sapienter sentit, certissime non admittet Deum potuisse permittere ut falsa Religio, maxime si sit tanti momenti, adeo credibilis reddatur.

Merito igitur aiebat Philosophus, praecedentis aevi: La Bruyère. (1)

« Si ma Religion était fautive, j'en avoue, voilà le piège le mieux dressé qu'il soit possible d'imaginer; il était inévitable de ne pas donner tout au travers, et de n'y être pas pris: quelle majesté! quel éclat de mystères! quelle suite et quel enchainement de toute la Doctrine! quelle raison éminente! quelle candeur! quelle innocence de moeurs!..... Dieu même pouvait-il jamais mieux rencontrer pour me séduire? Par où échapper? où aller? où me jeter? je ne dis pas pour trouver rien de meilleur, mais quelque chose qui en approche? S'il faut périr, c'est par là que je veux périr, il m'est plus doux de nier Dieu, que de l'accorder avec une tromperie si spécieuse et si entière: mais je l'ai approfondi, je ne puis être Athée. Je suis donc ramené et entraîné dans ma Religion: c'en est fait.

242

